



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Schefferi Argentoratensis De Re Vehiculari Veterum Libri Duo

Scheffer, Johannes

Francofurti, 1671

Cap. XIV. De Sejugibus, & reliquis hujusmodi vehiculis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13156

Cap. XIV.

De Sejugibus, & reliquis hujusmodi
vehiculis.

*Sejuges. An habuerint & quinquejuges. Sejuga. Ἐξαίπτοι. Ἐξήπτοι. Ἐξά-
ζυγαι. Vfus earum in circo. Argolus notatur. Plinius exponitur. Seju-
gas statuas primus posuit Augustus. Sejuges duplices in circo. Sejuges
in pompa. Πομπηίων ἄγυα. Interpres Dionis refutatur. Septemjuges.
Onuphrius notatur. Quis eas primus invenerit. Equi in se juncti.
Vincere sejuge, & vincere sejuges differunt. Onuphrius denuo no-
tatur, & tabula Cechinorum exponitur. Σεναπόλ.*

EXplicavimus huc usq; illud genus, quod Græcis Latinisq; pari-
ter cum ad alia, tum præcipue ad ludos & spectacula etiam an-
tiquissimis temporibus in usu fuit. Addemus nunc & alterum,
quod & recentioris est inventi, nec nisi raro usurpatum. Ex hoc
primi sunt *sejuges*. Nam quinquejuges nec apud Græcos, nec a-
pud Latinos invenio. Unde ne in usu quidem existimo fuisse. Vi-
deturq; hoc ideo factum, quia in excogitatione novorum vehicu-
lorum id præcipue respiciebant, ut numerum simplicem equorum
in vehiculis vetustis facerent duplicem. Sic ex biga facta est qua-
driga, ex triga sejuges. Quanquam cum habuerint decemjuges,
ut mox dicam, magis forte respexerint ad numerorum occultio-
rem rationem. Sejuges ita dicti, quod sint juges equi sex. *Juges*
porro pares, id est æqua fronte consistentes. Festus: *Juges, ejusdem
jugi, pares, unde & conjuges, & sejuges*. Alia igitur est ratio vocabu-
li hujus, alia bigarum quadrigarumq;. Quare Isidorus jungere non
debit lib. XVIII. cap. 36. veluti communi ratione formarentur.
Quadriga, ait, & *biga*, *triga* & *sejuges* ab equorum numero & jugo.
Nisi velimus à jugo dictum esse sicut *jugis*, *juge*, ita, *jugus*, *juga*, *ju-
gum*. A *jugis* esse *juges*, indeq; *sejuges*, *septemjuges*, *decemjuges*, &
sic deinceps. A *juga* esse *jugas*, indeq; *bijugas*, *trijugas*, *quadrijugas*,
quas contracte postea dixerunt *bigas*, *trigas*, & deinceps. Quæ
opinionem meam est verissima sententia. Neq; enim dari potest ratio,
cur veteres credi debeant voluisse aliter appellare bigas & trigas,
aliterq;

aliterq; sejuges & septemjuges, cum sit similis ratio vehiculorum omnium. Sed nec monaci vox obstare potest, nam & illa per compendium ac contractionem à monajugo potest esse formata, ut primum fuerit *monajugus*, inde *monagus* & *monacus*. Erunt ergo hæc vehicula sic dicta non à *jugo* verbo, nec *jugo* nomine, sed nec ab *ago*, verum *jugis* vel *jugibus* adjectivo, quod significat æqua fronte consistentes, vel ut Festus reddit, pares, quia hoc præcipe à cæteris vehicula ista differebant, quod haberent equos pari vel æquali fronte collocatos. Neq; alia est causâ, cur non modo *sejuges* vocarint, sed & *sejugas*. Ad quem modum quoniam dixerunt quoque *bijuges*, & *trijuges*, & *quadrjuges*, non erit necesse, ut *bigas*, *trigas*, *quadrigas* existimemus formatas ab *agendo* velut *agas* magis, quam à *bijugas*, *trijugas*, *quadrjugas*. Græci nominarunt ἐξάιππος, si Philoxenum audimus. Ἐξάιππος, ait, *Sejuga*. At apud veterem magistrum titulo de spectaculis ἐξέλευξίς hac notione. Ita namq; habet, *Biga*, συνωείς. *Sexjunge*, ἐξέλευξίς. Ubi tamen mallet legere vel *sexjuga* vel *sexjuge*, ut intelligatur in posteriori *vehiculum*, in priori fervetur ratio, quæ in biga & quadriga est. Ἐξάπλων ἄρμα vocavit Herodianus libr. V. Athenæo pro ἐξάιππων, est ἐξίππων. Sejugum vel sejugorum mentionem ipse, quantum scio, primus facit apud Græcos, tribuitq; Antiocho, quem exhibuisse scribit in solenni pompa. Verba ejus libr. V. inter reliqua ejus pompæ visu digna: Ἐξίππων μὲν ἑκατὸν, τέτρεππων δὲ τεσσαράκοντα. *Sejuges centum processerunt, quadrjuges vero quadraginta*. Johannes Antiochenus appellavit ἐξαζύγους ἵππους, in Excerpt. Peirescianis p. 829. ἐπὶ ἄρματι χρυσοῦ καὶ λευκοῖς ἐξαζύγοις ἵπποις ἀναβίβασας. Num in ludis quoq; adhibuerint, ignoro, neminem profecto ex Græcis scio, qui hoc prodiderit. At vero apud Romanos in Circensibus non omnino fuerunt ignoti. Nam sic ait Isidorus: *Sejuga, maximus currus currit Iovi, propter quod maximum deorum suorum credunt*. Vocat currum maximum, non quod non major fuerit, aut plures equi unquam sint adjuncti, sed ad Circenses inter sacra vehicula, & in honorem deorum mitti solita majorem non usurparint. Unde tamen hoc colligitur, quod usurparint, & solenniter usurparint. Quare nescio, cur

cur Argolus ab Augusto demum prodat inventas. Verba ejus in Notis ad Onuphrium, ubi Onuphrius id ipsum, quod Isidorus docuerat: *Sejuges ab Augusto primum inductos constat.* Unde vero hoc constet, ego sane ignoro, nec legere me recordor. Verum suspicor, deceptum Argolum à Plinio non satis diligenter inspecto. Plinius sic habet lib. XXXIV. cap. 5. *Serum hoc, & in his nonnisi à Divo Augusto sejuges, sicut & elephantii.* Hic quia sejuges dicuntur ab Augusto, ipse de sejugibus in ludis Circensibus accepit. Atqui totum illud caput agit de statuis, & inter cætera de curulibus etiam, quas ponebant apud Græcos Romanosque. Unde verba proxime præcedentia sic habent. *Sed illi (Græci) celetas tantum dicabant in sacris victores. Postea vero & qui bigis vel quadrigis vicissent. Unde & nostris currus in his, qui triumphavissent. Serum hoc, & in his nonnisi à Divo Augusto sejuges.* Sententia est, fuisse receptum apud Græcos primum ut statuas equestres dedicarent illi, qui victores extitissent in ludis sacris celete. Postea factum, ut dicarent quoque bigas vel quadrigas sculptas marmore vel fufas ære, qui vicissent isto genere. Inde consuetudinem venisse Romam, ut & qui triumphassent, dedicarent statuas triumphales, quadrigas puta: sed hoc factum sero, & adhuc serius, ut triumphales sejugas. Hoc enim primum auctorem habere D. Augustum. Nulla mentio ludicri Circensis, aut quod sejuges in eis miserit Augustus. Et si solenne fuit ut currerent Jovi, etiam ante Augustum longo tempore fuisse notas necesse est. Quanquam forte raro missi, cum rarissimam illorum fieri mentionem videamus. Sejuges profecto, quorum mentio in tabula Cecchinorum, Onuphrius inter extraordinarios putat referendos. Tabula sic habet: *Premia majora vicit LXXXII. XXX. XXXII. ex his Sejuges III. XXXX. XXVIII.* Item: *Diocles eminet, quod una die sejuges LTS. XI. missus bis utraq, victor emittit.* Hic sejugum certamen existimat ex provocatione factum. Alij ergo sejuges ordinarij, Jovis honori dicati, quorum cæteri, excepto Isidoro, vix fecere mentionem. Leguntur sejuges adhibiti à Romanis etiam in pompa cujus rei Cajus Cæsar primus fuit auctor. Dio lib. LIX. *Καὶ οἱ τε εὐγενεῖς παῖδες ἠ- Τροίαν ἰσπαύσαν, Ἐτὸ ἄρμα τὸ πομπικόν, ἐφ' ἧλθον, ἐξ ἰσπῶποι εἰλκυσαν, ὅ μιν πῶποτε*

πῶπολε ἐγερὸνδ. Vertunt: *Patricii pueri Trojam luserunt. Sex equis tractus est currus triumphalis, quo Cajus vehebatur, nunquam ante usitatum.* At verò toto illo loco nil de bello, multo minus de triumpho. Et *πομπικὸν ἄρμα* non est *currus triumphalis*. Loquitur de eo curru, quo est usus Cajus in pompa Circensi, antecedit enim, dedisse populo varia spectacula, etiam equestria curuliaque. Hoc est *πομπικὸν ἄρμα*, quo ipse, velut Dux illius pompæ, nisi fallor, utebatur. Hoc nunquam ante visum erat, quando currus tantum Jovis fuit sejugus. Venio ad SEPTEMJUGES. Hos Onuphrius ait in Circo fuisse usitatos Neronis temporibus. Verba ejus sunt, lib. I. cap. 9. *Septem decemque jugis aliquando aurigatum fuisse, refert Svetonius in Nerone, cap. 24.* Sed verò Svetonius nil ibi habet de septemjugis, decemjuges tantum memorat. Interim non repugnem, potuisse jam eo tempore ceptos esse usurpari, nec tamen, ut currus ordinarios, sed extraordinarios, & ex provocatione ac arbitrio certantium inter sese junctos. Nam ordinariorum quidem currus maximus fuit sejugus, ut jam supra indicavimus. Quamquam, si sequamur tabulam Cecchinorum, auctor septemjugum in Circo fuerit Diocles, qui vixit tempore Hadriani atq; Antonini Pii. Verba sunt clarissima: *Suisque septem equis in se junctis, nunquam ante hoc numero equorum spectato certamine, ad LTS. L in abigeis victor eminuit.* Non possum hic equos septem in se junctos intelligere, nisi septemjuges, qui *in se*, pro *inter se*, dicuntur juncti, sicut sæpe illud *in pro inter* solet usurpari. Atq; hinc est sine dubio, quod præcedit in eadem tabula: *Inde Septejuge L. LXIII. vicit CCCXXXVII.* Ubi *vincere septejuge* est, vincere eqvo septejuge, pro vincere septejugibus, quoniam victoria Circensis uni tantum eqvo in curru tribui consuevit, sicut alibi notavi. Onuphrius exponit *septejuge agitando*, quasi quarti casus esset, à primo casu *septemjuge*, cum sit casus ultimi, à primo *septemjugis*. Tabula sic habet: *Inde premia majora vicit LXXXII. XXXII. ex his Sejuges III. XXXX. XXVIII.* Quæ verba sic exponit Onuphrius: *Ex his Sejuges III. Sejuge dicendum opinor, ut infra septejuge. Id est, horum majorum pr. emiorum, quæ duo & triginta fuerunt, tres vicit septejuge agitando.* Primum sejuge debebat

bat

bat scribere, nam de eo sermo hic est, non septejuge. Deinde illud *agitando* erat omittendum, nec enim *sejuge* agitari dicitur, sed *sejuges* vel *sejugi*; Et in tabula præcedit *vicit*, ut non opus sit *ad agitando* intelligere. *Vicit sejuge*, hoc est, vicit eqvo sejuge. Quamquam dubitem, an *sejuge* scribendum sit. Potest enim voluisse demonstrare, quisquis auctor fuit hujus tabulæ, vicisse Dioclem quadrigis suis etiam sejuges adversarii. Nempe aliud est *vincere sejuge*, & aliud *vincere sejuges*. *Vincit sejuge*, qui hoc genere currus certans fit superior. *Vincit sejuges*, qui sejuges habet adversarios, quibuscum cursu contendit. Sicut autem sejuge quis dicitur vincere, sic plane & septejuge: Eqvo videlicet inter septem præcipuos, cujus ope ac virtute victoria maximè obtinetur. Liqvet autem ex prædicta tabula, septejuges non fuisse notos, saltem in Circo, & inter agitatores, ante Dioclis ætatem, ut de ætate Neronis frustra suspicemur, frustra Onuphrio affirmanti credamus. Quod eo magis apparet, quia tabulæ dictæ auctor ipsum ait *primum visum esse his novitatibus*, itemque hanc ob causam *duplici ornatum esse gloria* Dioclem, quod sic palam conspectui omnium in monumento publico proponere non potuisset, si ante septejuges in Circo fuissent usurpati. Sed & hoc ex ista tabula cognoscimus, septejugum certamen non fuisse solenne atque ordinarium, sed ex provocatione natum, ut nec mirum sit, si postea non semper fuit observatum, ac in Circo nec commemoratum sæpe à Scriptoribus. Cum præsertim extra Circum nec in bello, nec in pompis aut triumphis, usurpatum videatur. Unde nec à Græcis usquam reperitur nominatum. OCTOJUGES ac NOVEMJUGES nunc memorare debemus. Verum hætenus non reperi neque apud Græcos, neque apud Latinos. Habet quidem Livius octojuges, sed homines, non eqvos. Verba ejus extant lib. V. cap. 2. *Antea trina loca cum contentione summa patricios explere solitos: Nunc jam octojuges ad imperia obtinenda ire.* Hic octojuges appellat octo Tribunos militum ex patriciis creatos, quos dominari juncta opera in plebem, constitutam in castris conquerebantur. Ergo ad DECEMJUGES est veniendum. Hos enim commemorat Svetonius in Nerone, c. 24.

Aurigavit.

Auriga vit quoque plurisariam, Olympiis verò etiam decemjugem.
 Ubi per decemjugem intelligere currum debemus. Auctor vetus Olympiadum Collectionis nominat δεικάπωλον. Sic enim habet rem eandem enarrans ΟΛ.ΣΙΠ. Νέραν κηρύκων ἀγῶνα ἐστραφέντο τραγῶδες, κίβαρωδες, ἄρμα πωλικόν, καὶ τὸ τέλειον, καὶ δεκάπωλον. Docet autem locus uterque, decemjugem vel decemjuges istos exhibitos in ludis Olympicis. Quamquam novum fuerit, nec visum antea, ut *Idem etiam* apud Svetonium ostendit. Currus certè ibi certasse, quadrigis majores, hætenus non observatum nobis. Sed nec Romani Circenses viderunt decemjugem, ne per Neronem quidem exhibitum, ut arbitrator, quia nominatim Svetonius hoc factum ait Olympiis. Supra decemjuges num veteres habuerint, haud dixerim. Meminit equidem is ipse Svetonius currus alicujus cum equis duodecim, sed non verus fuit, verum visus in somnio, ac per quietem. Sic enim habet in vita Augusti, cap. 94. de Octavio, Augusti patre: *Atque etiam sequenti nocte statim videre visus est filium mortali specie amplio- rem, cum fulmine & sceptro, exuvisque Iovis Opt. Max. ac radiata corona super laureatum currum, bis senis equis candore eximio trahentibus.* Sanè currum verum cum tot equis non legisse memini, multo minus cum pluribus. Et videtur fieri vix potuisse, ut tot simul equi regerentur ab uno, sicut in hoc genere necesse erat.

Cap. XV.

De Curru, maximè falcato.

Curru unde. Isidorus refutatur. Ἄρμα. Curru falcati, falciferi. Ἄρμα δρεπανοειδές. Currodrepani. Ἄρμα ὠπλισμένα. Horum auctor num fuerit Cyrus. Xenophon exponitur. Διφρεία Ἰγώνη. Philelphus revellitur. Pugnandi ratio varia cum curribus. Argolus notatur. Φιλὰ ἄρμα. Xenophon iterum exponitur & emendatur. Hermannus Hugo notatur. Hesychius exponitur & emendatur. Philelphi versio Xenophontis denuò rejicitur. In sellis vehicularum janua. Curtii locus de quadrigis falcatis expenditur. Summi orbes rotarum. Καλακλίσεις τῶν ἀξόνων. Curtius notatur. Livius corrigitur. Currodrepanum. Ad curru falcatos equi quatuor, duo, unus. Arrianus exponitur. Stevechius notatur. Usus falcatorum curruum.

Curru